

1º Dicitur *virtus*; nam virtus in genere est habitus qui reddit hominem et illius opus bonum: atqui justitia reddit hominem illiusque opus bonum: ergo est virtus.

2º Dicitur *moralis*; illa enim virtus est moralis, quæ non habet Deum pro objecto immediato, sed ad mores spectat; atqui justitia Deum non habet, etc.: ergo.

3º Dicitur *constanter inclinans voluntatem*; non pertinet enim ad intellectum qui solummodo veritatem percipit, nec ad memoriam quæ præterita recordatur, sed ad voluntatem quam perficit, et cuius est actus simul et habitus, et idcirco dicitur *constanter inclinans*, etc.

4º Dicitur *ad perpetuo*; quia virtus justitiae non consistit in aliquo particulari actu, aut in quibusdam tantum actibus particularibus, sed in fimo et constanti proposito reddendi alteri, etc.

5º Dicitur *ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem*; per illa verba justitia a cunctis aliis virtutibus moralibus differt, v. g., a temperantia, a prudentia, vel a religione qua Deo jus suum reddimus, sed non ad æquilitatem.

Justitia, sic generaliter sumpta, dividitur in justitiam legalem, distributivam, commutativam et vindicativam.

Justitia *legalis* est illa quæ hominem relative ad principem vel ad rem publicam, velut partem ad totum, ordinat, et definiri potest: *Virtus qua quis reddit reipublicæ cuius est pars, vel principi cuius est subditus, quod ipsis debitum est, nempe obediendo legibus et bonum publicum procurando.*

Justitia *distributiva* ea est quæ rem publicam vel principem aut ejus ministros ordinat ad cives, velut totum ad partes, et definiri potest: *Virtus qua reipublicæ locum tenens, bona et onera communia civibus, juxta uniuscujusque merita, dignitates, vires ac facultates distribuit: unde non æqualitatem rei ad rem, sed proportionem rerum ad personas, seu ad personarum merita, dignitatem, conditionem et facultatem spectat.*

Justitia *commutativa* ea est quæ hominem ad hominem, tanquam partem ad partem ordinat, et definiri potest:

*Virtus inclinans hominem ad reddendum proximo quod ipsi stricto jure debitum est, servando perfectam æqualitatem rei ad rem, scilicet pretii ad merces, restitutionis ad damnum, nulla ratione habita meriti, dignitatis vel facultatis, v. g., ut ille cui centum debentur nummi, eos obtineat. Dicitur *commutativa*, quia commutations et contractus dirigit.*

Sæpe etiam justitia *commutativa*, sensu paulo extensiōri sumitur: sic dicitur justitia quæ jura perfecta et stricta complectitur et cuju*s* violatio ad restitutionem obligat; illam in eo sensu nosmetipsi infra plures accipiēmus, uti exponemus data occasione. Justitia stricta apud multos hoc nomen accepit, quia jura stricta plerumque in justitia commutativa proprie dicta reperiuntur.

Justitia *vindicativa* est ea qua superior reum pro culpa, ad servandum et procurandum bonum publicum, plectit.

Cujuslibet supradictæ justitiae violatio de genere suo est peccatum mortale; graviter enim rectæ rationi et bono ordini repugnat, ut omnibus aperte videtur. Ergo.

Cujusnam autem justitiae violatio obligationem restituendi inducat, expendemus postea.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS.

Duplici potissimum sensu jus accipitur: nempe 1º pro lege: sic dicitur jus naturale, jus positivum divinum, jus humanum; 2º pro facultate quam quis ad rem aliquam possidendam habet, et sic acceptum definiri potest: *Legitima potestas aliquid faciendi vel obtainendi, cuius violatio ad restitutionem vel ad satisfactionem obligat.*

Dicitur 1º *legitima*, id est, lege concessa, aut legi conformatis et justo innixa titulo.

Dicitur 2º *aliquid faciendi vel obtainendi*, et illa verba exprimunt quidquid objectum juris esse potest; concipi-

tur enim jus exerceri posse vel in proprias actiones, et est potestas aliquid faciendi; vel in res exteriōres, et est potestas aliquid obtinendi.

Cæteræ definitionis nostræ voces differentiam illius constituant et aliquid exprimunt juri stricto formaliter essentiale; probabimus enim infra obligationem restituendam aut satisfaciendi omni et soli istiusmodi juris violationi esse connexam.

Jus ita acceptum dividitur 1º in jus ad rem et in jus in re. Jus ad rem legitima est potestas quam quis habet ut res aliqua fiat sua; dat actionem in personam, non autem in rem ipsam, id est, efficit ut persona ante judicem citari, non vero ut res ante sententiam occupari possit. Jus in re est legitima potestas quam quis habet in re aliqua jam sibi acquisita, et est ipsummet dominium, de quo mox dicturi sumus.

Dividitur 2º præcipue in dominium, usum, usumfructum, servitutem, pignus et hypothecam. De pignore et hypotheca in Tractatu de Contractibus dicemus: nunc igitur nobis dicendum est tantum de dominio, usu, usufructu et servitute, quod in duobus articulis persolvemus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### DE DOMINIO.

Hunc articulum in quatuor dividemus paragraphs: in 1º videbimus quid et quotplex sit dominium; in 2º quodnam sit ejus subjectum; in 3º quodnam sit ejus objectum; in 4º quibus modis acquiratur.

#### § I.— Quid et quotplex sit dominium.

Duplex in genere distinguitur dominium, aliud scilicet jurisdictionis et aliud proprietatis. Dominium jurisdictionis est jus seu potestas subditos in ipsorum commodum gubernandi: de illo hic non agitur. Dominium proprietatis est jus de re aliqua tanquam sua disponendi, nisi usus illius lege aut pacto prohibetur. De dominio eo sensu accepto hic nobis tractandum est.

### DE JURE, ETC.

1º Dividitur in altum et humile. Dominium altum est jus quod habet princeps vel res publica de bonis privatum pro bono publico disponendi, et ad dominium jurisdictionis revocatur, quia princeps ea bona non sibi possidet nec de iis in suum commodum velut proprietarius disponere potest. Vide quod de isto dominio dicitur in Tract. de Contractibus, cap. 8, art. 3, § 9, et auctores ibi citatos presertimque D. Carrière, de Justitia et Jure, t. 1, p. 25. Dominium humile est jus quod habet privatus de re sua prout sibi libuerit disponendi, juxta tamen dispositiones legum, quae semper in conscientia obligant, *ut in Tractatu de Legibus docemus*: ipsa est igitur proprietas.

2º Dominium humile dividitur in perfectum et imperfectum. Dominium perfectum est jus de re sua et de omnibus ejus commodis, usu, usufructu, disponendi. Dominium imperfectum est jus disponendi de re sola, aut de solis ejus commodis; et ideo dividitur in directum et indirectum. Directum est illud quo sola habetur rei proprietas: indirectum est illud quo sola habentur rei commoda, ut fructus, et vocatur dominium utile.

#### § II.— Quodnam sit dominii subjectum, seu quinam dominii sint capaces.

Certum est omnem et solam substantiam intellectualem dominii esse capacem; dominium enim legitima est potestas de re aliqua disponendi: atqui omnis et sola substantia intellectualis hanc habere potest facultatem: ergo.

Moveri tamen potest dubium de quibusdam hominum conditionibus, nempe de parvulis et amentibus, de filiis familiis, de uxoribus et de clericis: de his in sequentibus sectionibus dicemus.

#### SECTIO PRIMA.— De parvulis et amentibus.

#### PROPOSITIO.

*Parvuli et amentes dominii sunt capaces.*

*Prob. 1º Script. sacra. Gal. iv, 1: Quanto tempore haeres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus*

*omnium*: ergo parvuli declarantur honorum domini: eadem est ratio pro amentibus: ergo dominii sunt capaces. Ergo 1<sup>o</sup>.

2<sup>o</sup> *Ratione.* 1<sup>o</sup> Si parvuli et amentes dominii non essent capaces, bona eorum pertinerent vel ad rem publicam, vel ad curatores aut tutores: at duo posteriora dici nequeunt: ergo. 2<sup>o</sup> Si dominii non essent capaces, maxime quia usum rationis non habent: at usus rationis necessarius est quidem ad disponendum de bonis, non vero ad ea possidenda, seu ad dominium habituale; sic omnes iudicant: ergo.

SECTIO SECUNDA.— De filiis-familias.

Nomine filiorum-familias ii intelliguntur qui sub potestate patris, vel matris, vel tutoris vivunt bonis familie nondum divisis.

*Certum est* 1<sup>o</sup> filios-familias nullorum honorum suorum administrationem habere ante suam majoritatem vel emancipationem. Sunt autem majores anno vigesimo primo completo: emancipari possunt a patre vel a matre, anno decimo quinto; ab alio tute, anno decimo octavo.

*Certum est* 2<sup>o</sup> eos habere dominium et commoda (*jouis-sance*) honorum quae per industriam separatam acquirunt, aut quae ipsis dantur vel legantur sub expressa conditione quod nec pater nec mater illis fruuntur: id expresse statuitur in Codice civili, art. 387. Ad eamdem speciem revocantur bona ex successione ablata parentibus tanquam indignis provenientia (*Cod. civ. art. 730*), vel *majoratus* componentia.

Pariter, qui patrem et matrem amiserunt, vel patrem tantum, si mater tutela privetur (*Cod. civ. art. 395*), omnium honorum suorum dominium et commoda habent, et tutor omnes fructus illis reddere tenebitur, tantummodo expensas educationis et administrationis deducendo.

Si vero pater vel mater filiorum suorum tutelam suscipiat, fructus omnium honorum facit suos, usque dum hunc decimum octavum ætatis annum attigerint vel emancipen-

tur. Sed requiritur ut pater vel mater fieri procuret aestimationem (*inventaire*) honorum conjugis defuncti. (*Cod. civ. art. 1442.*) Excipienda sunt bona de quibus supra in *Certum est* 2<sup>o</sup>.

Pater autem aut mater dominium utile non habet in bona filiorum naturalium vel spuriorum. Sic *Delvincourt*, t. 1, p. 100 et 459, et *Toullier*, t. 2, p. 302.

Quadruplicis generis olim distinguebantur, juxta veteres leges, bona filiorum-familias, scilicet, bona castrensis, bona quasi-castrensis, bona adventitia et bona profectitia.

Per bona castrensis ea intelligebantur quae in militia et occasione militiae acquirebantur, ut stipendia militum, spolia hostium, dona ducum, etc.

Bona quasi-castrensis ea dicebantur quae honorum castrensis privilegio gaudebant, et acquirebantur occasione militiae sacræ, togatæ et literatæ, sicut stipendia pro officiis sacris, stipendia judicis, assessoris, advocati, notariorum, stipendia magistrorum in scholis, etc.

Bona adventitia ea vocabantur quae filio, aliunde quam ex prædictis causis, adveniebant, quae nec a patre, nec intuitu ejus donabantur: talia reputabantur bona ex successione matris, ex amicorum donatione aut legato, ex thesauri inventione, ex propria industria aut labore provenientia.

Bona profectitia ea erant quae a patre vivo veniebant, vel intuitu ejus donabantur, vel ex bonis ejus provenientia, v. g., ex eis negotiando.

Bona castrensis et quasi-castrensis revocanda videntur ad ea quae in novo Codice dieuntur per industriam separatam acquisita, ac proinde filii-familias perfectum in hunc modi bona dominium habent.

Bona autem adventitia et profectitia revocari debent partim ad ea quae dicuntur per industriam separatam acquisita, et partim ad ea quae per tales industrias non sunt acquisita: in quædam igitur filii-familias perfectum habent dominium, scilicet, in ea quae ipsis data sunt sub conditione quod nec pater nec mater illis fruerentur: in

alia vero dominium habent directum et non utile, ante decem et octo annos vel emancipationem.

*Quæritur 1º* utrum filius-familias perfectum habeat dominium in bona a parentibus sibi data.

*R. 1º.* Perfectum habet dominium in ea quæ usu consumptibilia sunt, ut, v. g., pecunia; de illis, juxta omnes, pro nutu valide disponere potest. Ergo.

Attamen si pecuniam sub aliqua conditione accepisset, v. g., ad emendos libros, ad pensionem solvendam, etc., dominium in eam sub omni respectu perfectum non haberet, ut patet: si ergo ad alium finem illam impenderet, onus restituendi incurreret, nisi rationabiliter judicaret parentes de hoc rogatos condonationem facile concessuros esse.

*R. 2º.* Filius-familias non perfectum, sed utile tantum habet dominium in bona a parentibus sibi data, quando usu non consumuntur, ut sunt vestimenta, libri, etc.; parentes enim improbare solent dispositiones quas filii-familias de hujusmodi bonis, ipsis inconsultis, faciunt: ergo. Hæc itaque bona filii-familias donare, vendere aut mutare non possunt absque consensu parentum, saltem rationabiliter præsumpto.

*Quæritur 2º* specialiter utrum lucra quæ filius-familias in domo paterna facit, ad ipsum vel ad patrem pertinent.

*Notandum* hæc lucra duplici modo acquiri posse, nempe industria omnino separata, v. g., labore extraordinario et indebito, aliqua arte propria, ut musica, scriptura, etc., et industria non separata, v. g., una cum patre laborando, vel ex bonis paternis et nomine patris negotiando, etc.

*His notatis, R.* In priori casu lucra sic acquisita ad filium-familias omnino et absolute pertinent, sicut et bona quæ ipsi sub expressa conditione dantur quod nec pater nec mater iis fruantur. *Cod. art. 387.*

In posteriori vero casu, certum est filium-familias perfectum non habere dominium in prædicta lucra, eo sensu quod ante decem et octo annos, vel ante suam emancipa-

tionem ea sibi arrogare possit; nam, juxta articulum 384 Codicis civilis, pater, durante matrimonio, vel pater aut mater, dissoluto matrimonio, omnibus filiorum suorum bonis fruitur usque ad annum eorum decimum octavum completum, vel usque ad emancipationem, exceptis iis quæ per industram separatam acquiruntur: at bona de quibus hic agitur per industram separatam non acquiruntur: ergo.

Verum filius-familias semel emancipatus, vel decem et octo annos completos assecutus, potestne præfata lucra petere aut etiam secreto sibi arrogare? Circa hunc casum silet omnino lex nova sicut jus antiquum: ex solo itaque jure naturali solvenda est difficultas. Circa illam autem multum scinduntur theologi: alii namque putant filium supposita petere vel etiam secreto sibi arrogare posse lucra, absque ulla injustitia, modo adsint plures conditions de quibus infra, alii vero id negant. Sententia eorum qui affirmant alteri satis probabilitate præstare nobis videtur, ut, positis quibusdam conditionibus omnino necessariis, tuto admitti queat.

#### PROPOSITIO.

*Filius-familias contra justitiam non peccat petendo vel etiam clam sumendo prædicta lucra, modo adsint conditions infra notandæ.*

*Prob.* Filius non deterioris est conditionis quam extraneus: atqui extraneus jus proprie dictum haberet ad stipendum: ergo et filius.

Præterea, jus strictum ad prædicta lucra habet filius, si ea titulo gratuito pati relinquere non teneatur: atqui filius non tenetur prædicta lucra titulo gratuito patri suo relinquere, excepto casu paupertatis. Si enim illa relinquere teneretur, vel propter legem naturalem, vel propter legem positivam: atqui neutrum dici potest: non propter legem naturalem, nullam quippe lex naturalis obligationem imponit filio bona temporalia patri suo sufficienter habenti unde juxta conditionem suam vivat, tribuendi; non similiter propter legem positivam, cum lex positiva circa

hanc quæstionem omnino sileat : ergo. Ita Lessius, l. 2, c. 12, n. 81 ; card. de Lugo, disp. 5, n. 42 ; Cabassut, l. 6, c. 4, n. 3 ; Pontas, v<sup>o</sup> Compensation, cas. 5, etc.

Conditiones autem requisitæ, sunt : 1<sup>o</sup> ut filius expressam non haberit intentionem gratis laborandi, alioquin ea luera patri reliquise censeretur; quod vero semel datum est, tanquam suum jam repeti non potest; non tamen necesse est ut intentionem suam patri manifestet: verum si illam manifestaverit, vel pater acquievit, et nulla est difficultas; vel recusavit, data filio licentia domo exeundi; et filius nullum habet jus, si nihilominus laboraverit; 2<sup>o</sup> ut patri ob paupertatem vel consuetudinem omnino receptam subvenire non teneatur et labor sit notabilis; parvus enim pro nihilo reputaretur; 3<sup>o</sup> ut pater nullum inde patiatur damnum, quod contigeret si alios inventisset qui gratis laborassent, vel si opus illud ipse fecisset; 4<sup>o</sup> ut alii liberi injustum non patientur detrimentum, quod eveniret, si æqualiter laborassent, et compensationem non obtinerent, sive eo tempore quo ipse lucra prædicta sibi sumit, sive saltem in partitione hæreditatis; 5<sup>o</sup> ut omnes deducantur expensa quas fecit pater in alendo et vestiendo filio, etc. Vide S. Ligurium, l. 3, n. 544.

Ex iis principiis sequitur filium-familias, qui in domo paterna præ cæteris laboravit, plus exigere, aut aliquid labori suo proportionatum clam sibi arrogare posse.

Quantitas autem exigenda æstimari debet in bona fide ex modo laborandi et natura operis; si enim filius laboravit ut socius, v. g., in commercio, habet jus ad lucra, juxta regulas istiusmodi societatum; si ut mercenarius, habet jus ad stipendium in tali conditione usitatum.

Quod de filio-familias dicitur, pari ratione de nepote, de filia-familias et de nepte dicendum est; quod de patre, de matre similiter dici debet.

Sedulo autem notandum est hanc sententiam nostram, circa præsentem gravissimi momenti questionem, publice docendam non esse propter incommoda quæ per abusum inde sequerentur; sed in praxi non parum erit utilis ad solvendos ea de re casus existentes et difficiles.

## SECTIO TERTIA.— De uxoribus.

Per matrimonii contractum quilibet conventionem circa bona secum inire queunt sponsi, dummodo nihil statuant contra bonos mores, auctoritatem mariti in uxorem, paternam potestatem in liberos, jura alterutrius sponsi superviventis relative ad minores, ordinem successionum, etc. Cod. civ. art. 1387 et seq.

Sub triplici regimine constitui possunt sponsi quoad bona: videlicet, sub regimine communitalis, sub regimine communitalitatem excludente, et sub regimine dotali.

1<sup>o</sup> Duplex est communitas, alia legalis et alia conventionalis.

Communitas legalis locum habet quando sponsi matrimonium legitime ineunt sine ulla conventione quoad bona, vel quando simpliciter declarant, per contractum, sub regimine communitalis se constituere. Cod. art. 1400.

Hæc autem communitas coalescit 1<sup>o</sup> ex omnibus bonis mobilibus quæ sponsi incantes matrimonium possident, vel quæ sibi tempore matrimonii, titulo successionis vel donationis, adveniunt; 2<sup>o</sup> ex omnibus fructibus et quibuscumque redditibus honorum immobilium quæ sponsi ante matrimonium possidebant, vel quæ, durante matrimonio, quocumque titulo sibi advenerunt; 3<sup>o</sup> ex omnibus bonis immobiliis qui ex bonis communib[us] tempore matrimonii acquisita sunt. Cod. civ. art. 1401.

Prædicta bonorum communitas speciali conventione variis modis augeri vel limitari potest, et tunc communitas conventionalis vocatur. Cod. art. 1497 et seq.

Solus maritus habet proprietatem et administrationem honorum communium, durante communitate; solus quippe ea vendere, coinventare et in hypothecam tradere potest, etiam absque consensu uxoris. Cod. art. 1421.

Hæc autem, ut docet Toullier, t. 12, p. 440 et seq., denotant proprietatem in marito. Verum illa proprietas sub quibusdam respectibus lege limitatur: sic maritus bona communitalis immobilia vel etiam mobilia titulo universalis gratis donare nequit, nisi de statu unius e liberis

suis constituendo agatur : at mobilia , titulo particulari , cuiilibet personæ habili , per actus inter vivos gratis donare potest , modo usumfructum sibi non reservet . Per testamentum vero nihil ultra partem suam valide donare potest . Art . 1422 et 1423 .

2º Regimen communitatem excludens quemdam tenet locum medium inter regimen communitatis et regimen dotale ; dupli modo illud constituunt sponsi , vel declarando se matrimonium inire sine communitate , vel statuendo se in bonis suis futuros omnino separatos .

In priori casu , vir cunctos percipit redditus honorum uxoris , et ipse solus quæcumque bona , sive mobilia , sive immobilia , sive ante matrimonium existentia , sive durante matrimonio uxori advenientia , administrat . Sed ea omnia , aut illorum valorem , si usū consumuntur , dissoluta communitate , integra reddere tenetur . Art . 1530 et seq .

Ubi vero statuerunt sponsi se in bonis suis futuros esse omnino separatos , tunc mulier liberam habet omnium honorum suorum mobilium et immobilium administrationem , et cunctis redditibus eorum perfecte fruatur . Uterque sponsus ad onera matrimonii per conventionem specialeū simul concurrit . Ex hypothesi autem quod nulla hujusmodi existat conventio , usque ad tertiam partem reddituum suorum concurrit uxor . Art . 1536 et 1537 .

Quamvis mulier in eo casu plenam habeat proprietatem et administrationem honorum suorum , immobilia tamen alienare non potest , sine speciali approbatione seu permissione mariti , vel tribunalis primæ instantiæ , marito renitente . Art . 1558 .

3º Regimen dotale non ita præcise vocatur , quia dos aliqua traditur ; per dotem enim ea intelliguntur bona quæ mulier affert et tradit marito ad onera matrimonii sustinenda : porro in utroque regimine præcedenti , et in primis in communitate , mulier quædam tradit bona ad onera matrimonii sustinenda . In eo præcipue regimen dotale ab aliis regiminibus distinguitur , scilicet quod bona in dotem constituta integra semper remanere debeant , et finita societate , integra reddantur .

Mulier constituere potest in dotem vel omnia bona sua , tum præsentia , tum futura , vel bona præsentia tantum , vel partem honorum præsentium et futurorum , vel unam tantum partem specialiter designatam , v. g. , tale prædium aut talem pecuniae summam , etc. ; sed dos illa per solum matrimonii contractum constitui potest , et matrimonio semel inito , nec constitui , nec augeri potest . Art . 1542 et 1543 .

Maritus omnimodam honorum dotalium administrationem habet , omnes eorum redditus percipit , eisque plene fruatur : uxor igitur solam illorum habet proprietatem .

Potest tamen , ex speciali conventione , aliquam partem reddituum singulis annis , proprio dato chirographo , percipere ad subveniendum impensis suis . Cod . art . 1534 et 1549 .

Cuncta alia bona uxor , quæ non traduntur marito ad onera matrimonii sustinenda , dicuntur parapiernalia , a duabus verbis græcis παρά , præter , et οἰκην , dos . Plenam eorum administrationem uxor habet , licet pro eis coram tribunalibus comparere , aut immobilia quocumque titulo alienare nequeat , sine expresso mariti consensu legitime dato , aut , renitente marito , sine tribunalis primæ instantiæ auctoritate . Cod . art . 1575 .

Bona quæ sibi comparat uxor vel propria industria , vel labore extraordinario , post datam gubernationi familie debitam attentionem , vel aliquid subtrahendo de sibi concessis a marito ad victimum , vestitum , recreaciones , etc. , vel quæ sibi data sunt sub expressa conditione quod ad maritum non pertineant , ad paraphernalia revocanda esse videntur : de illis idcirco disponere potest uxor ad quoslibet voluerit usus honestos et lege permissos . Ita olim judicabant theologi , et in novo Codice nihil contrarium reperitur .

Quæritur an uxor ex bonis communibus eleemosynas facere possit , aut aliquid pro se vel liberis vel pro aliis personis clam sumere valeat .

R. Uxor non est serva , sed domina : quamdam igitur administrationem habere debet in domo mariti , juxta ho-

nestum morem communiter receptum. Hinc aliquas ex bonis communibus facere potest eleemosynas his bonis proportionatas, præsertim si maritus nullas faciat; tunc enim obligationi satisfacit mariti qui rationabiliter invitus esse non potest. Pariter quæ sibi necessaria sunt ad honestam sustentationem, juxta suam conditionem, ex bonis communibus clam subreptis emere potest, si maritus ea præstare nolit aut difficillime tantum concedat; jus enim habet ut hæc a marito sibi concedantur: contra justitiam ergo non peccat, modo id ad quod jus habet non excedat. Idem simili arguento dicendum est de iis quæ pro liberis suis, etiam primi matrimonii, emeret, de parvis munib[us] quæ alii personis propter decentiam vel necessitatem daret, v. g., amicis, consanguineis, proximis, etc. Ita cum pluribus aliis Bonacina, Habert, P. Antoine, Collet, Biluart, etc.

Item contra justitiam non peccat uxor cuius vir est dissipator, si de communitate ea surripiat et abscondat quæ ad honestam sui suæque familie sustentationem necessaria sunt, vel ne dos sua in decoctione pereat. *Sic communiter theologi.*

Cautæ admodum nihilominus hæc omnia, non dicimus suadenda, sed etiam permittenda sunt uxoribus, quibus potius restringendæ quam laxandæ sunt habenæ; sed multum illa principia inserviunt in praxi ad solvendos casus particulares sæpe occurrentes.

Si quid autem de bonis communibus, et *a fortiori* de bonis dotalibus, surripiant uxores, præter causas assignataς aliasve similes, veram committunt injustitiam erga maritum, et illi vel hæreditibus ejus tantum restituere debent quantum necesse est ut damnum injuste illatum perfecte reparetur.

#### SECTIO QUARTA.— De clericis.

Bona clericorum triplicis distinguuntur generis, videlicet, bona patrimonialia, bona quasi-patrimonialia et bona ecclesiastica.

Bona *patrimonialia* sunt ea quæ clericis obveniunt, sive ante sive post clericatum, independenter ab omni ministerio aut beneficio ecclesiastico, ex hæreditate, dono, industria, etc.

Bona *quasi-patrimonialia*, quæ alii *quasi-ecclesiastica* vel *casualia* vocant, sunt illa quæ clericis adveniunt, non ratione beneficii, nec ex bonis ipsi Ecclesiæ oblatis et appropriatis, sed ratione ministerii personalis, v. g., oblationes vel stipendia ob missarum celebrationem, concionem, cantum in choro, ob muuia professoris in litteris, in scientiis, etc.

Bona *ecclesiastica* ea sunt quæ secundum suam originem ad ipsam Ecclesiam pertinent, et clericis attributa sunt in congruam eorum sustentationem, ob ministerium spirituale ab ipsis præstandum, qualia sunt beneficia.

*Certum est* 1° clericos perfectum habere dominium in bona sua patrimonialia, sicut laicos; nam si dominium in illa bona non haberent, vel propter votum, vel propter legem aliquam: atqui neutrum dici potest. Non propter votum, paupertatem enim non vorerunt; non propter legem, siquidem nulla lex hac proprietate clericis interdicit: ergo. *Sic generaliter theologi.*

*Certum est* etiam 2° apud omnes theologos, clericos habere dominium perfectum in bona quæ acquirunt ob functiones non sacras, v. g., docendo philosophiam aut theologiam, proindeque de illis bonis sicut de patrimonialibus suis disponere posse: non minus enim sunt capaces dominii in hujusmodi bona quam laici. Ergo.

Sed utrum dominium habeant perfectum in cætera bona quasi-patrimonialia, id est, in ea quæ ob functiones sacras personales acquirunt, v. g., in stipendia pro missarum celebratione, pro divini officii cantu, etc., non conveniunt inter se theologi.

Communius affirmant auctores illos perfectum in ea habere dominium: Nam, inquit, fideles hæc bona titulo mere gratuito non tribuunt, sed tanquam aliquid ob ministerium personale vere debitum; ea liberae eorum dispensationi omnino relinquunt, nec ullum eis imponere volunt

onus : ita omnes apprehendunt. Præterea, bona hæc ad clericos pertinent, vel ad Ecclesiam, vel ad donatores : sed duo posteriora dici nequeunt. Non pertinent ad Ecclesiam, siquidem ipsi non sunt appropriata ; non pariter ad donatores, quia omnino ea abjecerunt : restat igitur ut ad clericos pertineant. Ergo clerici perfectum in ea habent dominium. Sic *Lessius*, l. 2, cap. 4, n. 36 ; *de Lugo*, disp. 4, n. 23 ; *Sylvius*, q. 185, art. 7, concl. 2 ; *Billuart*, *S. Ligorius*, l. 4, n. 491, qui plures alios citant theologos, inter quos *Major*, *Navarrus*, *Covarruvias*, etc.

Plures tamen negant clericos perfectum habere dominium in hujus generis bona : Si enim, aiunt, clerici perfectum haberent dominium in dicta bona, maxime quia tanquam aliquid debitum dantur : atqui prædicta bona non dantur clericis tanquam aliquid ipsis debitum : nam 1º res sacra et ordinarius labor administrationis rei sacrae necessario annexus pretio æstimari non possunt, quin grande simoniæ sit crimen : atqui tamen res sacra aut illius labor ordinarius pretio æstimaretur, si bona de quibus agitur tanquam debita darentur ; 2º de illis contractus miri posset, quod nemo admittet ; 3º in primis Ecclesiæ sæculis, omnia bona quæ clericis ut talibus adveniebant, erant quasi-patrimonialia ; proveniebant enim ex fidelium oblationibus : atqui, juxta sanctos Patres et innumeros conciliorum canones, tenebantur clerici omnia honestæ suæ sustentationi superflua pauperibus erogare, vel in pias causas impendere ; tunc igitur in illa dominium perfectum non habebant; ergo nunc pariter non habent. Etenim ea percipere non possunt, nisi ex concessione Ecclesiæ, ad honestam suam sustentationem : ergo ad alium usum illa adhibere non possunt. Ita *Habert*, *P. Antoine*, *Collet*, *Theologia Cenomanensis*, et *Bailly* qui dicit hanc sententiam esse communem.

Prior sententia longe probabilior nobis videtur ob sequentes rationes : 1º *Benedict. XIV*, de Synodo diœces., l. 13, cap. 8, n. 3, probat ex regula S. Chrodegangi, sub fine VIII sæculi, eleemosynas pro missa vel pro alia functione sacra receptas, in quoslibet usus, pro voluntate acci-

plentis, expendi posse ; 2º pro ea opinione multo communius stant auctores. 3º S. Pœnitentiaria, interrogata an responsio ab ipsa die 19 januarii 1819 data relative ad salario a gubernio soluta, extendi deberet ad oblationes fidelium, respondit die 9 aug. 1821 negative ; magis adhuc expresse locuta est de vero dominio clericorum circa hujusmodi bona die 9 jan. 1823. Ergo, etc.

Ad hujusmodi bona pertinent distributiones chorales, jura curialia et variae oblationes personis ecclesiasticis datæ, non vero ecclesiis appropriatæ.

Quoad bona ecclesiastica, certum est 1º clericos non habere dominium in fundum, ita ut illum valide commutare, vendere aut donare possint.

2º Nunc theologi communiter tenent clericum, qui aliqua canonice possidet bona ecclesiastica, ex illorum redditibus sumere posse quidquid necessarium est ad honestam sui sustentationem, etiamsi habeat bona patrimonialia ex quibus vivere posset; nam, juxta beatum Apostolum, qui annuntiant Evangelium, jus habent ex Evangelio vivendi. *I Cor. ix, 14.*

3º Omnes adhuc convenient clericum teneri sub peccato de genere suo mortali dare pauperibus vel in pios usus impendere omnes reditus qui honestæ suæ sustentationi necessarii non sunt : ex hypothesi autem quod illos non sic impendat, graviter controvertitur inter theologos an peccet contra justitiam nec ne. *Lessius*, l. 2, c. 4, n. 43, *Sylvius*, q. 185, art. 7, concl. 7, et *Billuart*, cum multis aliis, contendunt clericos perfectum habere dominium in hujusmodi bonorum ecclesiasticorum proventus, ac proinde, licet graviter peccent eos male consumendo, ad restitutionem tamen non teneri. Duobus præsternim argumentis nituntur.

1º In primis Ecclesiæ sæculis, omnia bona ecclesiastica in communii possidebantur, ad Ecclesias pertinebant, et ab episcopis secundum necessitates distribuebantur ipsis ecclesiis, clericis et pauperibus ; at, in variis temporibus, a tertio usque ad octavum vel nonum sæculum, hæc bona

divisa sunt in tres partes, quorum una assignata est fabricis ecclesiarum, altera pauperibus, et tertia clericis qui ecclesiis deserviebant: ergo illius partis clerici vere facti sunt domini.

2º Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 1, declarat clericos non residentes, fructus suos non facere: ergo qui resident, faciunt fructus suos: porro facere fructus suos, est perfectum in illos acquirere dominium: ergo.

Multi alli theologi contrariam sententiam fortiter tueruntur, inter quos *Habert, Natalis Alexander, P. Antoine, Pontas, Collet, Coll. Andeg., Theol. Cen., Bailly*, etc. Gravissimis autem nituntur rationibus, scilicet, 1º intentione fundatorum, qui clericos ditare noluerunt, sed bona opera facere; 2º mente Ecclesiae, quae intentionis donatorum executioni providere voluit, non vero ei derogare: exigit ergo ut superflua in pia opera impendantur; 3º auctoritate concilii Tridentini, quod, sess. 25, cap. 1 de Reformat. « omnino eis interdicit ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere studeant; » 4º pluribus summorum Pontificum decretis et consueta agendi ratione sacrae Poenitentiariae Romanæ in suis responsis. Ergo. Ratio fundamentalis hujus sententiae est, quod predicta bona ecclesiis sint appropriata et clerici sint eorum tantum administratores, sicut tutores administrant bona pupillorum; ita saepe loquitur jus canonicum: at economi et administratores non habent dominium bonorum sibi commissorum. Ergo. Ad rationes oppositas respondet 1º bonorum divisionem de qua agitur ab adversariis non probari et probabilius non existisse, siquidem nulla hujus divisionis reperiuntur vestigia; 2º clericos dici posse dominium reddituum bonorum ecclesiasticorum habere, non autem illud habere nisi oneribus gravatum, ac consequenter locutiones primo aspectu oppositas, eo modo fieri concordes.

Quamvis igitur momenta prioris opinionis spernenda non sint, posterior tamen sola sequenda est in praxi ac proinde qui titulo hæreditatis bona ecclesiastica accep-

runt, ea ex integro restituere tenentur, nisi ipsi sint pauperes: quo in casu partem suæ paupertati proportionatam retinere possent.

Arbitrati eramus pensiones quæ a gubernio nunc solvuntur clericis in Gallia, et bona quæ titulo supplementi parochis et vicarii a parochianis tribuuntur, ad bona quasi-patrimonialia revocanda esse; cum enim hæc bona ratione ministerii sacri percipientur, sunt quasi-patrimonialia vel ecclesiastica: at ecclesiastica nobis non videbantur, quia ecclesiis non sunt appropriata, sed clericis personaliter tribuuntur, præsertim populorum supplementa, sicut stipendia pro missarum celebratione, etc.

Verum nobis prolata est sacrae Pœnitentiariae decisio quæ sic se habet: *Quæsitum*: « An salario quæ in Belgio a gubernio solvuntur pastoribus et canonicis, induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et annexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superfluum pauperibus seu piis causis, et residentiæ, sub pena non faciendi fructus suos. »

*Responsum*: « Sacra Pœnitentiaria perpensis expositis, respondet jam alias a sancta Sede, de consilio selectæ congregationis, responsum fuisse affirmative. Datum Romæ, die 19 januarii 1819. »

De authenticitate hujus sacrae Pœnitentiariae decisionis nullus nobis dubitandi est locus. Aliunde illa satis congruit decreto novæ sedium episcopaliū circumscriptiōnis a cardinali Caprara dato Parisiis die 7 aprilis 1802, et in quo statuitur: « Declaramus earumdem ecclesiarum donationem ex iis redditibus conflatam fore, qui ab ipso gubernio, juxta præfatae conventionis tenorem, singulis archiepiscopis et episcopis assignandi erunt. » Saltem tutius est igitur pensiones a gubernio variis titulis ecclesiasticis assignatas, ut bona vere ecclesiastica habere, atque ideo regulas a sacris canonibus pro hujusmodi bonis statutas apprime sequi. In quacumque autem hypothesi, certum est clericos functiones titulis suis essentialiter annexas graviter negligentes, contra justitiam peccare